



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Hermannii Conringii De Antiquitatibus Academicis  
Dissertationes**

**Conring, Hermann**

**Helmestadii, 1674**

Svpplementvm LIX. Ad pag. CXVII.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-12929**

mum sint Decuriones, non amplius multùm repugnabimus. Et vero cum Advocatos probari à suæ Juridicinæ magistris mos tunc fuerit, quidni etiam circa alias id fuerit observatum? Sed & jam tum Supplemento XIII adducta sunt verba S. Augustini, quæ non obscurè indicant, sese à Symmacho Vrbis Præfecto Mediolani constitutum fuisse Professorem Rheticum, *dictione proposita probatum.*

Legi vero majoris illustrationis causâ heic merentur, quæ etiam de Advocatorum probatione olim fuerunt consti-tuta l. 9 nemini Codic. de Advocat. divers. judicior. Quicunque nimirum patroni causarum munus ambiebat, docebat pri-mo apud Præsidem Provinciæ se cohortalem non esse i. e. non obnoxium Præsidis apparitioni: mox jurabat Anteces-for, a quo erat institutus in Legum doctrina, illum juris pe-ritiâ satis esse instructum. Addere operæ pretium est heic annotata à Pancirolo l. 1. variar. lection. c. 26 de tabellionum creatione. Legitur in quadam Leonis Philosophi Novella, ex cer-to corpore tabellionum eruditiores & vita integritate probatores ex collegij sententia electos fuisse, qui LX libros Basilicon & XL Ti-tulos Encheiridij tenerent. Eos autem ephestride induitos ad Prafe-clum Urbi perductos fuisse, jurantibus his qui elegerunt, se nulla am-bitione vel gratia motos electionem illam fecisse. Mox in Audi-torio Præfeci Urbi annulo signatorio accepto ad Tabularij gradum promotos, inde ad templum perductos fuisse, ubi pro ephestride à Sa-cerdote album phetonium, recitatis quibusdam precibus, accipiebant. Postremò omnes simul convivatos esse. Quæ aliquam in creandis Doctoribus nostris habent similitudinem. Hactenus Pancirollus.

## SUPPLEMENTVM LIX.

Ad pag. cxvii.

**E**Xcerptum illud Photianum Olympiodori docet, Pallium Sophisticum, quo de ibi agitur, non fuisse duntaxat Rhe-torum

torum sed etiam disciplinæ illius studiosorum habitum. Quod dignum est observatu, quoniam Pallium aliàs habitus quasi proprius fuit Philosophorum. Fortè autem Athenis duntaxat Sophisticum aliquod juvenile pallium fuit, & non-nihil à Philosophico diversum. Non enim etiam aliis adscribi illud solet. Illam sane raritatem arbitror movisse Photium, quare ad vitam Isidori Philosophi à Damasco conscriptam, cum dixisset Damascius de semetipso: λόγοις ἀπίδεκνύμενος τρέψατο τὸν Ρητορικὸν τετράβιον τετράβιον. cum curā notaverit, fuisse tunc temporis & pallium aliquod Rheticum. Nec verò hoc Rheticum pallium aliud fuit ab eo quod Olympiodoro audit Sophisticum.

## SUPPLEMENTVM LIX.

Ad pag. cxvii.

**I**AM tum Supplemento XII ex S. Augustino notavimus quædam, de petulantiâ ejus ætatis studiosorum juvenum, & Carthagine & Romæ usitatâ. Notantur porrò Canone 71 Concilii Trullani quidam petulantes mores eorum juvenum, qui tunc temporis Constantinopoli Legum studiis dabant operam. Habitum autem est illud Concilium in Trullo Constantinopoli, imperante Constantino Pogonato, jam tertio post Justinianum seculo. Latine versus canon ille ita sese habet: *Eos qui docentur Leges civiles, Græcis moribus uti non oportere, & neque in theatrum induci, neque eas quæ dicuntur κυλίσεα peragere, vel præter usum communem sibi vestes induere: nec quo tempore disciplinam aggrediuntur, vel ad finem ejus pervenient, vel ut in summa dicam, in ejus doctrinæ dimidio. Si quis autem deinceps hoc facere ausus fuerit, segregetur. Qui illi fint Græci mores, qualis in theatrum inductio, quæ vestium mutatio, qualis denique cylistra isthæc, nos fugit.* Et verò etiam ipse Balsamo τὰ κύλισεα tantum ex conjectura interpre-

Yy

tatur: